THESIS

Conradi, Johannes Friedr.
Halle a/d.S.

DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS VISCERVM ABDOMINALIVM PHTHISIN PVLMONALEM MENTIENTIBVS

QVAM

INDVLTV GRATIOSI MEDICORVM ORDINIS

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRAESIDE

D. ANDREA ELIA BVCHNERO

SACRI ROMANI IMPERII NOBILI,

POTENTISSIMI PRVSSIAE REGIS A CONSILIIS INTIMIS,

MEDICINAE ET PHILOSOPHIAE NATVRALIS PROFESSORE PVBL. ORDINARIO,

FACVLTAT. MEDIC. SENIORE, REGIORVMQVE ALVMNORVM EPHORO,

IMPERIALIS ACAD. NAT. CVRIOS. PRAESIDE ET COMITE PALAT. CAESAREO,

REGIARVM SOCIETATVM SCIENTIARVM, ANGLICANAE, BEROLINENS.

ET MONSPELIENS. SODALI,

PRO GRADV DOCTORIS

SVMMISQVE IN MEDICINA HONORIBVS

ET PRIVILEGIIS DOCTORALIBVS RITE CONSEQVENDIS

D. IV. FEBRVAR. A. R. S. CIↃIↃCCLXIX. 1769

PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

IOANNES FRIDERICVS CONRADI

SELBENSIS SAXO.

HALAE AD SALAM, AERE HENDELIANO.

REVERENDISSIMO, ILLVSTRISSIMO
AC GENEROSISSIMO DOMINO,
DOMINO

FRIDERICO WILHELMO
S. R. I. COMITI
DE WARTENSLEBEN,

ORDINIS ST. IOANNIS EQVITI,
DYNASTAE IN ZSCHEPEN, SELBEN ET LEMSEL,
CETERA,

MAECENATI AC PATRONO
SVMMA ANIMI SANCTITATE PER OMNEM VITAM
DEVENERANDO,

SPECIMEN HOC INAVGVRALE

TESTIMONIO GRATISSIMAE SVAE ATQVE IMMORTALIS

MEMORIAE ET MENTIS DEVOTISSIMAE

PRO

TANTIS ATQVE INNVMERIS TAMQVE PRAECLARIS

IN SE COLLATIS BENEFICIIS

CVM

ARDENTISSIMO VOTO

OMNIGENAE AC SEMPITERNAE INCOLVMITATIS

ET

GENTIS TOTIVS ILLVSTRISSIMAE AC GENEROSISSIMAE

PROSPERITATIS

SACRVM ESSE IVBET,

SEQVE VLTERIORI EIVS PATROCINIO AC FAVORI

COMMENDATVM CVPIT ATQVE TRADITVM

REVERENDISSIMI, ILLVSTRISSIMI

AC GENEROSISSIMI DOMINI

HVMILLIMVS CVLTOR,

IOANNES FRIDERICVS CONRADI.



DISSERTATIO INAVGVRALIS MEDICA

DE

MORBIS
VISCERVM ABDOMINALIVM
PHTHISIN PVLMONALEM MENTIENTIBVS.

PRAEFATIO.

Medicinam facturo, certe ad id adſpiranti, vt ratione et conſilio morborum curam gerat, et neque periculoſo ancipitique auxilio, neque ſaepe fallenti fortunae aegroti ſalutem committat, nihil antiquius mor-

borum cognitione exiſtimandum eſt. Ad quid enim prodeſſent praeſtantiſſima, quibus Medicina hodie ornatur, medicamenta, niſi ex ipſa morborum natura eorum vires, vſum et adplicationem diiudicare valeamus? Qua de re non ſatis eſt, morbi nomen vel medicamenti titulum noſcere. Prout enim diſpoſitio morbi aegrotique conſtitutio differt, modo hi, modo illi effectus a medicamentis producuntur, et qui iam ſalutares ſunt, ob mutationem quarumdam conditionum, noxii euadere poſſunt. Quo vero exactam morbi notitiam acquiramus, ad multas res, quae huc ſpectant, ſimul attendendum eſt. Conſtat primo, morbi eſſentiam ante omnia debere eſſe cognitam, quam vt compertam habeas, quae in corpore humano ſedes primario laboret, quis in ea ſit affectus praeter naturam, vtrum in ea ſede genitus, an aliunde profectus, an cauſſae denique externae illum foueant? multa attentione inquirendum eſt. Quae doctrina ſemiotica de ſignis morborum tradit, in hanc inueſtigationem nos deducunt, eaque inſtructus eſſe debet, qui, quis ſit affectus, eruere et pro-

pronunciare, morbosque a ſe inuicem diſcernere cupit. Negari tamen non poteſt, nonnulla morborum genera atque ſpecies occurrere, quarum ſymptomata et, quae inde petimus, ſigna, fere non ſufficiant ad differentiam dignoſcendam, quae illis ratione eſſentiae vel etiam ſedis, quam occupant, intercedit. Libri praeſtantiſſimorum auctorum, qui de medicina facienda diſſeruerunt, hoc adeo ſaepe teſtantur, vt exemplis, ad aſſertum noſtrum probandum facientibus, carere poſſimus. Liceat ſolummodo *Phthiſeos* ſpecies, quae a differentia partis corporis, in qua vlcus rodit, conſtituuntur, nominare. Vid. BOERHAAVII *Aphor. de cognoſc. et curand. morb.* Non ſolum enim pulmones, ſed alia etiam viſcera, vt hepar, lien, pancreas, meſenterium, &c. conſumtioni purulentae obnoxia ſunt, cuius ſedes autem vel peritiſſimum Medicum fugere poteſt. Phthiſin quidem pulmonalem, ob varios pectoris adfectus, ſenſibus ſe manifeſtantes, non tanti plerumque eſt laboris dignoſcere, quam in reliquarum ſpecierum diſquiſitione opus eſt. Attamen haud deſunt morbi, tantam phthiſeos pulmona-

monalis, quamquam longe alius ſint generis vel ſpeciei, gerentes ſimilitudinem, vt errori facile locus detur. Recordamini modo controuerſiam, quae aliquot annis abhinc in Gallia inter clariſſimos Medicos de morbo, qui Delphini coniugem adfligebat, eiusque tandem fata finiebat, mouebatur, aliis nempe phthiſin pulmonalem, aliis abdominalem iudicantibus. Nec absque vtilitate putauerim, de iſtis morbis, qui ſpeciem Phthiſis pulmonalis prae ſe ferunt, nonnulla exponere. Ne vero longior ſermo fiat, quam limites Speciminis inauguralis permittunt, de iis tantummodo morbis, qui in viſceribus abdominis ſedem habent, iam diſputaturi ſumus. Quod vt iuſto ordine inſtituamus, primo de Phthiſi pulmonali eiusque ſignis agere, ſecundo autem morbos viſcerum abdominalium, quorum ſymptomata cum iſtis ſignis conueniant, proferre nobis propoſitum eſt. Faxit Deus feliciter!

§. I.

§. I.

Quid ſit Phthiſis pulmonalis.

Motus, quo ſine intermiſſione ſolidae ac fluidae partes corporis humani, dum vita ſupereſt, agitantur, tantum excitat atritum atque frictionem, vt haud exigua copia molecularum, fibras animales conſtituentium, perpetuo ab illis abrumpantur, reliquarumque nexus eo infirmior reddatur. Qua ratione machina humana, fibras conſumendo, ſe ipſam breui tempore deſtrueret, niſi quod perit, quantum & quale amiſſum ſit, reparare & explere valeat. Illa enim eſt corporum animalium natura perquam admirabilis, vt ex tam variis alimentis materiam ſui ſimilem ſibi comparent, quam, inquilinis humoribus mixtam, vaſa ad quascunque corporis partes vehunt & in celluloſam telam exſudant, vt fibris apponatur et foueas in illis natas repleat. Ita machina ſe inſtaurat, iucundaque gaudet valetudine, dum aequa ratio inter iacturam et reparationem obtinet. Permultae tamen ſunt cauſſae, quae hanc oeconomiam corporis conſeruatricem turbant, et quominus decrementum fibrarum perfecte reſarciatur, impediunt. Modo enim viſcera abdominis officio ſuo non rite defunguntur; modo ſanguificatio et humoris gelatinoſi elaboratio, ob partium ſolidarum debilitatem, laeſa eſt; modo ſpaſmi vaſa coarctantes ſecretionem

B lym-

lymphae nutritiae in tela cellulofa impediunt. Quodfi autem lympha optimae indolis a vifceribus concoctionis et fanguificationis conficiatur, illique via ad minimas fibras libera fit, aliae tamen adeffe poffunt cauffae, quae nutritioni obftent atque officiant. Ad has acrimoniam imprimis referre licet, quae diffolutionem particularum gelatinofarum efficit, eaque ratione neceffariam earum tam inter fe, quam cum fibris cohaefionem infirmat. Longiorem, quam finis permittit, fermonem ducerem, fi varias acrimoniae fpecies enarrare, multiplicemque fontem, e quo earum generatio explicanda eft, indagare vellem. Attendamus ad purulentam humorum infectionem, quae ab vlcere, partem quamdam corporis humani infeftante, nafcitur. Quaeftio quidem facta eft, annon purulenta materia, nullo praefente vlcere, in humoribus gigni poffit? cum nonnumquam materia quaedam puri omnino fimilis in fanguine obferuata fit; mihi videtur, iftam, quoad colorem & vifciditatem, fimilitudinem hanc rem non fatis demonftrare. Quodfi iam pus ex vlcere per vafa bibula reforbetur & dein humoribus admifcetur, lympha etiam nutritia putredinofa quadam diffolutione ita corrumpitur, vt fibris apponi et cum illis arcte cohaerere non poffit. Neceffe igitur eft, vt confumtio corporis inde nafcatur, quam phthifin pulmonalem nominare folent, & cuius fpecies a parte, quam vlcus deftruit, definiuntur. Satis igitur conftat: phthifin pulmonalem effe confumtionem corporis humani ex vlcerofa pulmonum labe ortam.

§. II.

§. II.

Signa phthiſeos pulmonalis.

Quae comitantur morbum, de quo nobis ſermo eſt, ſymptomata, haud exigui eſſe numeri, Pathologia docet; attamen hic omnia recenſere, a fine nobis propoſito alienum eſſet. Quare illa tantummodo in medium proferamus, quibus vt veris ſignis diagnoſticis vti licet. Primo huic morbo dyſpnoea familiaris eſt, cuius origo facile perſpicitur, ſi perpendas, materiam purulentam cellulas pulmonum replere & receptionem aëris impedire. Imprimis vero inter ambulandum & locorum decliuium aſcenſum hoc ſymptoma aegros vexat, vel etiam increſcit maiori niſu totius pectoris, quo maior quantitas aëris pulmones intrare poſſit, vel vberiori materiae viſcidae expectoratione ſubleuandum. Nec raro cum iſta difficultate reſpirationis ſenſus quidam ponderis coniunctus eſt. Secundo tuſſis excitatur, quae initio ſicca & mitis eſſe ſolet, ſubſequente vero tempore eiectionem efficit materiae viſcidae, minus ſpumoſae, varii coloris, albi, griſei, flaueſcentis, liuidi, aut ſanguinolenti, odoris plus minus foetidi, ſaporis dulcis vel etiam ſalſi. Attendenti ad varias conditiones ſaniei, ex vlceribus externis emanantis, haud mira videbitur iſta coloris varietas, quam ſputamina phthiſicorum exhibent; accedit, quod mucus bronchiorum puri mixtus ſit. Maior vero vel oleoſarum, vel ſalinarum particularum copia, modo dulcis, modo ſalſi ſaporis rationem praebet. Obſeruamus etiam, haec ſputa, niſi ab aëre ſub expectoratione ſpumoſa facta ſint, in aqua plerumque ſub-

 ſidere;

ſidere; quod phaenomenon autem pro certo diſſolutionis fibrarum pulmonalium ſigno declarare non audeo, cum narium fauciumque mucum grauitate ſua aquae pondus nonnumquam ſuperare plus vna vice obſeruando didicerim. An ſemper autem tuſſis phthiſi iuncta erit? Primo quidem intuitu opinandum eſſet, tuſſis praeſentiam in phthiſi, ob irritationem pulmonum, a puris acrimonia ipſaque arroſione factam, neceſſariam eſſe, niſi clariſſimorum Medicorum obſeruationes plura exempla, quae huic ſententiae refragantur, ſuppeditauerint *). Cuius rei ex eo forte rationem reddere conarer, quod cellulosa tantummodo pulmonum ſubſtantia, de cuius exigua ſenſibilitate per experimenta HALLERI ſatis conſtat, illaeſis bronchiis, exeſa ſit. Nec minus inficias ire licet, tuſſim ſaepe ab initio morbi vſque ad mortem ſiccam manere, nec vlla ſputamina exſcreari. In cauſſa eſſe poteſt celerior purulenti fomitis per vaſa bibula reſorptio, qua eius accumulatio in pulmonibus prohibetur. Quae tertio inter ſymptomata phthiſicorum hic nominanda eſt conſumtio corporis, ex ipſa antea ſuppeditata morbi notione ſequitur. Cum enim puris in vlcere nati acrimonia blandam ſanguinis atque lymphae naturam corrumpat, quae perpetuo infertur fibris iactura, ob defectum particularum nutritiuarum, irreparabilis fit & maciem toti corpori inducit. Hinc omnium partium extenuatio, viriumque ſucceſſiua proſtratio, humorum colliquatiuae euacuationes, capillorum defluuium, vnguium curuatura,

*) Conf. Illuſtr. b. m. IVNCKERI Diſſertat. ſiſtens diſquiſitionem: *Cur in Phthiſi conſummata interdum tuſſis nulla ſit.* Hal. 1744.

uatura, & innumera alia, quae tabem comitari ſolent. Quarto denique accedit febris hectica, plerumque veſpertino & nocturno tempore obſeruanda, pulſu celeri & genarum rubore ſeſe manifeſtans. Quae tamen cum phthiſi pulmonali non vnice comes ſit, ſed ad quamcunque fere tabem accedat, minus ad rem noſtram facit.

§. III.

Tranſitus ad morbos viſcerum abdominalium, phthiſin pulmonalem ſimulantes in genere.

Quodſi morbos quosdam viſcerum abdominalium phthiſeos pulmonalis ſpeciem prae ſe ferre aſſerimus, id nobis iam agendum eſt, vt ex eorum natura ea ſymptomata, quae ſigna huius affectus praebent, ortum ducere poſſe oſtendamus. Eiusmodi igitur conditionis eſſe debent, vt tam conſumtionis corporis, quam dyſpnoeae, vel tuſſis rationem in ſe contineant. Hinc etiam facile perſpicitur, quotuplicis generis eſſe poſſint, dummodo ad varium modum, quo iſti affectus pectoris vna cum tabe corporis e cauſſis in abdomine latitantibus naſcuntur, attendamus. Quod ad ortum dyſpnoeae atque tuſſis ſpectat, primo huc refero omnem labem viſcerum abdominis, qua materia vel viſcida, vel acris generatur, & dein ex hiſce partibus ad pulmones transmittitur. Quod accuratius inueſtigantes, modo atoniam viſcerum, digeſtionis negotium impedientem, modo infarctum eorum, modo vlcus illa rodens, adeſſe animaduertimus. Secundo obſtructio, cum aucta partium mole, vel compreſſione thoracis, vel irritatione neruorum, vel circulationis humo-

rum turbatio, illos pectoris affectus producere valet. Cum vero iidem morbi non raro consumtionem maciemque corporis gignant, neque tamen veram sedem suam semper patefaciant, omnino pro phthisicis pulmonum affectibus haberi possunt.

§. IV.

In specie, & primo Vlcera viscerum abdominis.

Abdominis viscera abscessibus atque vlceribus, vti reliquae mollioris substantiae partes corporis nostri, obnoxia esse, caussamque huius corruptionis modo in iis ipsis, modo in aliis organis quaerendam esse, ex historia medica satis notum est. Sedes atque ortus illorum vlcerum, constitutio corporis, vitae genus, nec non complicatio aliorum morborum, efficiunt, ne idem semper symptomatum concursus locum habeat, sed facies morbi hoc vel illo tempore multum a se differat. Nec raro ita recondita ac penitus abdita sunt, vt acutum & solertem Medicum fallant, &, leuioribus ab initio corpori illatis turbis, illi fere persuadeant, prorsus non esse quod de periculoso & vitae insidias parante morbo timeat. Quodsi enim partes, quae vlcerosa putrilagine dissoluuntur, minus sensiles sunt, & functiones perficiunt sensibus sese subducentes, de quarum igitur integritate ex aliis tantummodo actionibus, quae quidem pro illarum effectibus habendae sunt, sed ob multas alias caussas etiam laedi possunt, iudicare licet; nisi pus excernatur, vel morbi praegressi sint, a quibus de orto vlcere coniectura capienda est, principia signorum & anamnesticorum & diagnosticorum non inueniuntur. Quae de hepate, liene, pancreate & mesenterio asserenda esse,

e na-

e natura illorum viſcerum colligimus. Grauiori enim malo oppreſſa non multum dolent, nec functionum ſuarum laeſione, cuius non certum ſemper teſtimonium praebet ciborum concoctio turbata, cum plures illius cauſſae exiſtant, quo proprie adfligantur morbo ſatis declarant. Sed qualibuscunque ſymptomatibus ſtipata ſint vlcera viſcerum abdominis, & quam intime lateant, ſcire tamen iuuat, conſumtionem labemque corporis vix non ſemper ab iis ſeiunctam eſſe. Non ſolum enim, quod omni labi purulentae commune eſt, ſanguinem acrimonia ſua inficiunt & ad nutritionem aptos humores inquinant atque corrumpunt, ſed etiam, dum in concoctionis officina ſedem habent, ſucci lactei praeparationem impediunt. De his ipſis vlceribus in abdomine latitantibus, quomodo phthiſeos pulmonalis ſpeciem prae ſe ferre poſſint, vt demonſtremus, qua nunc ratione pectori eiusque mechaniſmo moleſtias inferant, nobis exponendum eſt.

Ex anatomia conſtat, duplex vaſorum genus, venas ſcilicet & arterias, cuilibet parti corporis humani intertextum eſſe, & has vel tenuiores, vel craſſiores fluidorum particulas in tela celluloſa atque cauitatibus deponere, illorum autem negotium in eo conſiſtere, vt minimis ramulis, ne nimium augeſcat fluidorum ſecretorum copia, certam eorum quantitatem, ad inſtar tubulorum capillarium ſugant & ad maiora vaſa, in quibus collectio fit omnium humorum, reuehant. Quamquam autem in quacunque parte peculiaris ratio vaſorum reſorbentium, quoad ſtructuram eorum, orificii capacitatem, ſitum, flexiones, pro

di-

diuerſa fluidi deriuandi natura obtinere videatur, tamen etiam materiam fluidam praeter naturam in loco quodam vel natam, vel depoſitam, imbibere poſſunt. Qua ratione igitur non raro fit, vt pus ab illo loco, quo generatur, illud imprimis, quod in loco clauſo aucta putredine magis attenuatum eſt, deriuetur & aliorſum deducatur. Accedit etiam, quod ipſa vaſa ſanguifera, acrimonia puris eroſa, eam deriuationem iuuent. Materia autem purulenta, cum ſanguine permixta, circulationem ſubit, & modo arctius cum eius particulis cohaerens per quascunque corporis partes diſtribuitur, vel inſenſibili ratione cum aliis impuritatibus excernitur, modo hic vel illic ab eo iterum ſeparatur, vaſa ſecernentia intrat, & in cauitate quadam aut tela celluloſa colligitur. Quod fuſius argumentis demonſtrare haud opus eſt, cum metaſtaſis hiſtoria innumeras obſeruationes, quae inſigniter id docent, ſuppeditet. Abſceſſus ita ad maturitatem perducti, vt aperturam Chirurgi ſtatuerint, ſubito nonnunquam euanuerunt, inſigni puris copia vel cum excrementis inteſtinorum, vel cum vrina excreta. Simili ratione pus, in pulmonum ſubſtantia ob praegreſſam peripneumoniam collectum, intra venulas reſorbetur & poſtea ad alia loca deponitur. Hinc eius decubitus fit in viſcera abdominis, cerebrum, & glandulas circa crura vel aures, ibique nouos abſceſſus producit. Vt autem inter illas partes, in quibus puris collectiones locum inueniunt, pulmones referam, tam eorum ſtructura, quam obſeruationes, ſaepiſſime in praxi medica obuiae, ſuadere videntur. Quid enim magis puris ſecretionem in pulmonibus iuuare

poteſt,

poteſt, quam ſpongioſa illorum natura? Adſunt inſuper innumera vaſa ſecretoria, ad transmiſſionem viſcidioris humoris imprimis apta, quae igitur, ob ſimilem puris conditionem, & illud ad cellulas aëreas facile perducere poſſunt. Accedit etiam, quod nulla corporis viſcera tanta ſanguinis affluentis copia abundent, quam pulmones, in quorum vaſa omnis humorum, in dextri cordis cauitatibus collectorum, quantitas immittitur, quae vt vberioris ſecretionis in illis perficiendae rationem ſuppeditet, neceſſe eſt. Quod autem ad experientiam, noſtrum aſſertum confirmantem, ſpectat, nihil fere facilius eſſet, quam innumera exempla de phthiſi pulmonali ex vlceribus aliarum partium orta, adferre, quibus tamen, cum cuilibet ſatis cognita ſint, minus iam opus eſt.

§. V.

Continuatio praecedentis argumenti.

Cum igitur, quomodo puris, ex vlceribus in abdomine latitantibus per venas reſorbentes collecti, in pulmones fiat decubitus, per naturam corporis humani expoſuerim, nemini certe dubium eſſe poterit, illa vlcera nonnunquam dyſpnoeam atque tuſſim ea conſenſus ratione, quam vaſorum ſyſtema inter pulmones & abdomen efficit, excitare poſſe. Vti enim dyſpnoea ac tuſſis in phthiſicis a repletione cellularum aërearum bronchiorumque irritatione, ab vtraque puris in pulmonibus nati viſciditate & acrimonia facta, ortum ducunt; ita eaedem conditiones in materia purulenta aliunde aduecta adſunt, eademque producunt ſymptomata. Forte, qui ſingula momenta a

C nobis

nobis iam propoſita inter ſe confert, & quod vlcera in abdominis viſceribus latere, purulentum ſuum fomitem per omnes humores diſpergere, eaque ratione conſumtionem corporis efficere, item tuſſim atque dyſpnoeam ab illa, qua phthiſici vexantur, nullo modo diuerſam gignere poſſint, veritati quidem conſentaneum eſſe concedit; tamen, cum in concluſione eo progrediamur, vt illa vlcera pro morbis phthiſin pulmonalem mentientibus ventilemus, huic ipſi ſententiae contradicit, & ab eo, quod vera ſimul adſit phthiſis pulmonalis, morbumque complicatum conſtituat, illam oppugnandam ſuſcipit. Quod quidem cum minime inficias eamus, & potius ipſi in antecedentibus phthiſin pulmonalem non raro ab vlceribus aliarum partium gigni iisque comitem ſe praebere aſſeruerimus, in eo tamen adhuc quaeſtio verſatur: an ſemper puris materia, in pulmonibus a vaſis depoſita, eroſionem huius viſceris ac deſtructionem efficiat? Prouocas ſine dubio ad illius acrimoniam, fibrarum diſſolutionem tentantem, ipſamque compagem pulmonum quodammodo laxiorem; quibus rationibus multum omnino tribuendum eſſet, niſi non minus fortiora argumenta, quae illis opponi poſſint, in promtu eſſent. Primo enim tenendum eſt, haud exiguam muci copiam in pulmonibus ſecerni, cuius lentore neceſſe eſt, vt acres humores viſcidiorem naturam nanciſcantur, & hinc particularum ſuarum agilitas indeque dependens fibrarum arroſio cohibeatur. Porro a tuſſi perquam ſalutare beneficium ſperare licet; illius enim ope quae quodammodo collecta eſt puris materies, breui e pectore eliminari, eaque ratio-

ratione periculum, quod inſtare videbatur, reprimi poteſt. Dein autem concedimus quidem, laxitatem pulmonum in aetate iuuenili in cauſſa eſſe, quod tam multi iuuenes conſumtioni purulentae ſuccumbant; non autem in corpore, quod ad perfectum robur adoleuit, quum pulmones reſpectu aliarum partium tanta gaudeant cohaeſione, vt illis rebus, a quibus diſſolutionis periculum iisdem metuendum eſſet, ſatis plerumque reſiſtere valeant. Denique etiam a tuſſis exemplo diſcimus, perquam acres humores, in ſputamine ſeſe manifeſtantes, nonnunquam in pulmonibus per longum tempus ſecerni, & tamen fibras integritatem ſuam ſeruare. Quibus igitur argumentis credo euictum dari: puris collectionem in pulmonibus, nulla ſubſequente illius viſceris arroſione & contabeſcentia, contingere poſſe, igiturque etiam morbum, ſigna phthiſeos pulmonalis praebentem, ab vlceribus in abdomine latitantibus excitari. Huc refero, quod de LINDANO apud BONETVM legitur, exiſtimaſſe nempe illum, ea, quae tuſſi in phthiſi reiiciuntur, ſaepe culpa ventriculi fieri, eo quod in phthiſicorum corporibus pulmones integri, male vero adfectum orificium ventriculi obſeruatum ab eo ſit. *Sepulchret. anatom. Lib. II. Sect. VII. Obſeruat. CXXXVIII.* MORTONVS etiam obſeruationem de adoleſcente, vulnus in crure ab exploſa catapulta paſſo, tradit, cuius quidem curatio, larga atque diutina ſuppuratione praegreſſa, felici progreſſu perfici videbatur; ſed ſub ipſa vlceris conſolidatione dyſpnoea atque tuſſis cum materiae purulentae ſputamine accedens, ſuſpicionem de vera phthiſi pulmonali praeſente mouebat, poſt

plurium autem menſium ſpatium, quod ſaluti aegroto fuit, vlcus in crure recrudeſcebat, & phthiſeos ſymptomata euaneſcebant. Iterum quidem vlcus ad cicatricem perducitur; ſed denuo etiam pectoris morbus tabesque totius corporis adoleſcentem infeſtat. *Exercitat. de Phthiſi Cap. IV.* Nonne in hoc caſu metaſtaſis puris ad pulmones facta eſt, dum vlcus in crure exſiccabatur? attamen a veritate non alienum eſſe videtur, in prima morbi periodo non veram adfuiſſe pulmonum vlceroſam labem; tunc enim ſymptomata ab ea excitata prorſus euaneſcere non potuiſſent, vlcere in crure recrudeſcente. Videtis igitur, non minus per obſeruationes, quam per ratiocinia, noſtrum aſſertum firmari.

§. VI.

Concoctio ciborum labefactata.

Quantum alimentorum officina, vel in conſeruanda vitae integritate, vel in procreanda totius corporis aegrotatione valeat, ex ſanitatis quidem aeque ac morborum hiſtoria cognoſcimus, quamquam principia de oeconomia animali ſtabilita ad explicandum commercium, quod inter canalem inteſtinorum & reliquas corporis partes obtinet, non ſemper ſufficere videantur. Eo autem imprimis cogitatio dirigenda eſt, vt, quomodo ciborum concoctio ſe habeat, inueſtigemus, cum omnium fere humorum natura a qualitatibus chyli, quī tanquam eorum fons ſpectandus eſt, magna ex parte dependeat. Etſi etiam nullum vitium in humore lacteo, ad vaſa ſanguifera transmiſſo, deprehendatur, reliquiae tamen ciborum, modo acres factae, modo glu-

glutinoſae, inſignem turbam non ſolum ventriculo, ſed etiam toti machinae inferre poſſunt. Id nobis certe perſuaſum eſt, ex hoc fonte morbos oriri poſſe, quorum ſymptomata cum illis, quibus phthiſis pulmonalis dignoſcitur, conueniant, igiturque de eius praeſentia, quamquam falſo, coniecturam faciant. Inter mala, quae labefactatam concoctionem ſequuntur, viſcidiorem chyli naturam referendam eſſe, non debemus ignorare. Cauſſam huius vitii modo in debilitate membranarum, quae ad ventriculi atque inteſtinorum fabricam pertinent, modo in defectu ſecretionis humorum, quorum actione ciborum reſolutio perficitur, vel in eorum deprauata mixtione, modo in obſtructione glandularum meſaraicarum poſitam eſſe putamus. Quod ad primum momentum attinet, a debilitate ventriculi atque canalis inteſtinorum ad imminutum motum periſtalticum concludimus, quo tamen opus eſt, ſi chylus iuſtam acquirere debet fluiditatem. Nec minus conſtat, nullam fere particularum tenuium a craſſioribus ſeparationem fieri, niſi ſufficiens quantitas bilis, ſucci pancreatici, gaſtrici & inteſtinalis adſit, & in quolibet eorum bona inueniatur mixtio. Neque autem haec omnia ſufficiunt, vt chylus ſatis liquidus euadat, ſed glandulae etiam meſenterii ad perficiendum hoc negotium requiruntur. Magna enim copia tenuioris lymphae, craſſioribus particulis in fibris, vt iacturam reſarciant, relictis, ad eas redit, & chylum per vaſa lactea adductum diluit, qua fortaſſis in re arteriarum etiam extremitates, inſigni numero glandulas perreptantes, auxilium ferunt. Obſtructis autem illis glandulis, lympha cum chylo

non rite miſcetur, huiusque reſolutio impeditur. Explicato iam ortu glutinoſi in alimentorum officina, ad eius effectus, eos inprimis, quos pulmones experiuntur, progrediamur. Fieri non poteſt, quin ſanguis viſcidior inde euadat, & humores ſecreti magis mucoſi fiant. Imprimis autem illa organa ſecretoria, quae in ſtatu naturali mucum a ſanguine ſeparant, eoque partes corporis, quae illo opus habent, obliniunt, tanta eius copia adgrauantur, vt varia, ſaepe periculoſa incommoda, haud raro inde naſcantur. Cui vero non notum eſt, in bronchiorum interna ſuperficie & intra illorum membranas lacunarum ſeu folliculorum glanduloſorum, quorum ope mucus ad oblinendam tracheam, ne aëre continuo per eam tranſiente exſiccetur, tam neceſſarius conficitur, innumerabilem reconditum eſſe numerum? Quid mirum igitur, ob vaſa aërifera, pulmones, per quos illa diſtribuuntur, prae multis aliis partibus corporis humani moleſtos effectus, a nimia pituitae in ſanguine redundantis vi oriundos, pati? Sed reliquos morbos iam miſſos faciens, vnice nunc de tuſſi atque dyſpnoea, ab accumulatione muci in pulmonibus nata, cogito. Dicet aliquis: quid tu inde? an tibi in mentem venit adfectum catarrhalem cum phthiſi comparare, & inter morbos tam diuerſae naturae ſimilitudinem quamdam quaerere? Id omnino facere nobis eſt propoſitum. Quodſi enim illi pectoris adfectus per plurium menſium ſpatium vel annuum tempus producuntur, tuſſis die nocteque aegrotos vexat, inſignis copia materiae viſcidae exſpuitur, defectus virium denique ſe manifeſtat, partesque carnoſae conſumuntur; neſcio

nescio an fieri possit, quin haec imago phthiseos pulmonalis nos fallat. An vere autem symptomata commemorata ad tam longum tempus produci possunt, si non nisi concoctio laesa illorum caussam sistit? Nonne medicamenta, quae hanc iuuant, breui omnem curationem in hoc casu perficere possunt? Nonne materia per sputa educta iis conditionibus, quibus pus dignoscitur, imprimis malo colore atque odore destituitur? Nonne desunt reliqua cacochymiae purulentae in humoribus signa? Et qua ratione denique ii adfectus consumtionem corporis sibi adiungerent? Paucis ad has obiectiones respondebo. Primo concoctio ciborum ob tam varias caussas, quas non sine ratione in antecedentibus adduxi, laedi potest, vt non semper in potestate Medici sit, eas vel breui tempore, vel funditus eruere. Qua in re probanda obstructiones viscerum exempli caussa adduxisse, sufficere putauerim. Quo autem admisso, concedi etiam debet, effectus, ab illo in initio excitatos, per longum temporis spatium perseuerare posse. Secundo qualitates sputorum in phthisicis, sensibus obuiae, perquam variae esse possunt, nullumque igitur certum signum morbi praebent (§. II.), & praeterea quae e naribus emunguntur & per tussim educuntur, dum homines catarrho laborant, colore, spissitudine & aliis dotibus pus referre testatur Illustr. *van* Swieten, *Comment. in Aphorismos Boerhaav. Tom. IV. §. 1196.* id tamen addens: eiusmodi aegrotos non dici phthisi laborare, quum habitus corporis non consumatur, nec vlla signa cacochymiae purulentae adsint.

§. VI.

§. VII.

Vlterior continuatio prioris argumenti.

Haec igitur vltimo adhuc ſoluenda reſtant argumenta. Sed quae ſunt, quaeſo, illa ſigna cacochymiae purulentae, quibus credere poſſimus? Exiſtimo quidem permultos effectus ab illa diatheſi in corpore humano excitari, ſed ita ſe habent omnes, vt a multis aliis acrimoniae ſpeciebus ortum ducere poſſint. Niſi igitur excretio puris accedat, quid certi pronunciandum ſit, haud video. Sed illa ipſa excretio fallax praebet ſignum, cum non in omni morbo vlceroſo ſeſe manifeſtet, & aliae materiae, ad puris ſimilitudinem accedentes, inueniantur. Ex vlceris praeſentia de cacochymia purulenta potius coniicere licet, quam inuerſa ratione ex huius ſignis de illo coniecturam capere. Quod denique ad conſumtionem corporis ſpectat, haud ardua res eſſe mihi videtur, illam cum dyſpnoea atque tuſſi, a glutinoſo in ſanguine nato oriunda, coniunctam eſſe poſſe, variis demonſtrare argumentis. Primo viſciditas humorum immeabilitatem illorum efficit, obſtructiones in vaſis gignit, canalium minimorum coalitum facit, ſecretiones perturbat atque impedit. Vid. Boerhaavii *Aphor. de cognoſc. & curand. morb.* §. 72. 73. Hinc defectus tenuioris lymphae, diſtributio eius per omnes partes, & ad fibras appoſitio & nutritio impedita. Dein notamus, in glutinoſo illo acrimoniam quamdam ſaepe haerere, tam ex laeſa ciborum concoctione, quam ex impedita humorum purificatione, facile explicandam. Quae cum lympham nutritiam magis adhuc corrumpat, tabem corporis ma-

turet

turet necesse est. Denique autem ipsa tussis si vehemens est, continuamque corporis efficit concussionem, ob hanc ipsam et turbatam a somno exspectandam refectionem, atque ob iacturam lymphae, quae cum sputis excernitur, inter caussas consumtionis referri potest *). Ita etiam Illustr. *van* SWIETEN: *Interim tamen*, ait (loc. citat.), *si materies catarrhi acrior fuerit, vel valida et diuturna tussis nimis quassauerit pulmonem, quandoque pulmo eroditur & vlceratur.* Quodsi vero eiusmodi esse potest acrimonia, vt pulmones erodat, multo facilius ille effectus, quem nos illi tribuimus, ab ea metuendus est. Et si demum illa argumenta, quae eiusmodi esse putauerim, vt omnem dubitationem auferant, nonnullis minus satisfacere videntur, nihil aliud nobis reliquum est, quam vt ad experientiam confugiamus, & sententiae nostrae probationem ab obseruationibus experiamur. Tanti autem sunt ponderis, quae nobis ab historia medica suppeditantur, naturae animaduersiones, vt praeclare caussam nostram tueri valeamus. Quamquam ex veterum aeque ac recentiorum Medicorum scriptis exempla in nostrum vsum conferre liceat, sufficere tamen videntur, quae nostris temporibus ab Illustr. *de* HAEN in *Ration. medendi Part. I. Cap. VII.* cum orbe erudito communicata sunt. En primam historiam: Foemina, quae sputa flaua, subuiridia, crassa, magna, aquae salsae

*) Hanc caussam BONETVS imprimis ab exemplis phthisicorum, quorum pulmones, sectis cadaueribus, illaesos inuenit, probare contendit. *Theatr. tabidor. Exercitat. XXIII.*

ſae illico petentia fundum, copioſius eiiciebat, phthiſi pulmonali tanta laborare videbatur, vt ſimilem, ſpatio viginti duorum annorum, ſe non vidiſſe auctor noſter fateatur. Menſis ſpatio in noſocomio degens, die nocteque in mortem vsque ſputare perrexit. Aperto cadauere pulmones, quos conſumtos fere ſuſpicatus eſt, ſiniſtro in cauo thoracis pericardio pleuraeque adhaerentes, fungoſos, & cohaeſione ſuperata totos non collabeſcentes, & quomodocunque eos examinauerit, ne vel guttulam puris vel vomicarum veſtigia exhibentes, inuenit. In inciſa trachea modo quid puris repertum eſt. Altera hiſtoria haec eſt: Hydropicus tantam copiam ſputorum & eiusmodi qualitatis eiicit, vt a longo die videretur phthiſicus ac plane hecticus eſſe. Paucis poſt diebus in noſocomium adductus, moritur. In pulmonibus ad minima fruſtula examinatis, ne vel minima quidem aut vomicae aut puris veſtigia cernere licuit. Simili autem modo, ac in cadauere cuius hiſtoria antea tradita eſt, aliquid puris in trachea inuentum eſt. Plures eius generis hiſtoriae apud BONETVM leguntur, *Sepulchr. anat. Lib. II. Sect. VII. Obſeruat. XLVII. LXXVII.* Vereor tamen, ne de his etiam obſeruationibus quaedam contra nos moneas. Cum puris in trachea reperti mentio facta ſit, forte de vlceroſa arroſione illius canalis coniiceres, quam tamen abfuiſſe, ex omni Illuſtr. *de* HAEN de iis obſeruationibus diſputatione colligere licet. *Si igitur*, ait, *in phthiſi, v. g. pulmonali, pus copioſum, diuturno tempore ore excernatur, nec apta poſt mortem, qua genitum locatum fuerit, ſedes inueniatur, neceſſe eſt, illud ab*

ipſo

ipſo ſanguine immediate ſecretum eſſe. l. c. Part. II. Cap. II. Sed auctor de pure loquitur, & nos agimus de glutinoſo. Ideo pus nominat materiam per ſputa eiectam, dum illi quoad omnes qualitates ſimilis fuit; an recte, an non, in noſtra cauſſa nihil refert. Certe id conſtat, e ſanguine humores viſcidos mali odoris atque coloris eductos, ab iisque pectoris morbum, phthiſeos pulmonalis ſpeciem prae ſe ferentem, natum eſſe. Vltima quaeſtio eſt: vnde haec diatheſis ſanguinis ortum duxerit? Haud equidem nego, perturbatum ſanguificationis negotium illius cauſſam ſuppeditare poſſe; potiori autem iure in prima digeſtionis officina eius originem quaerendam eſſe, initium huius §. ſatis docet. Quandoquidem vero inter primas vias, imprimis ventriculum atque pectus, ſpecialis obtinet conſenſus, quem neruorum convinctiones potiſſimum efficiunt, & hac ratione irritationis a ventriculo ad partes in thorace contentas propagatio locum obtinet, non ſemper neceſſe eſſe mihi videtur, vt ad glutinoſam materiam, ab alimentorum canali ad pulmones deductam, reſpiciamus in explicanda dyſpnoea atque tuſſi ſymptomatica, quarum vera cauſſa in abdomine haeret. Spaſmi enim ab acrimonia vel flatibus in primis viis excitati, quam ſaepiſſime liberum reſpirationis mechaniſmum impediunt, cui affectui dein tuſſis, ob irritationem a ventriculo ad bronchia propagatam, ſeſe adiungit. Sicca quidem plerumque haec tuſſis eſſe ſolet; ſi autem per longius temporis ſpatium pulmonum quaſſationem continuarit, eorum relaxatio inde ſequitur, quae vt maiorem affluxum humorum illis importet neceſſe eſt; quo

in caſu tuſſis ſiccae in humidam conuerſio facile contingere poteſt.

§. VIII.

Obſtructiones viſcerum in abdomine, & illae imprimis, quae cum aucta illorum mole coniunctae ſunt.

De obſtructionibus viſcerum abdominalium, morbos phthiſi pulmonali ſimiles ideo inducentibus, quod digeſtionem laedant & ſaburram viſcidam in ſanguine gignant, in praecedentibus iam diſputauimus; hic vero alias adhuc rationes, quibus illos effectus producunt, inueſtigaturi ſumus. Minime neceſſe eſſe credimus, labem corporis ab obſtructionibus viſcerum oriri, & quomodo id fiat, longiore ſermone demonſtrare. A quibuscunque fere Pathologis illa vitia inter cauſſas conſumtionis corporis numerantur, cum experientia innumeras obſeruationes de hac re ſubminiſtret, & ſatis cognita firmaque principia doctrinae medicae explicationem ſuppeditent. Inter ſymptomata autem, quae, vna cum contabeſcentia corporis a viſcerum obſtructione oriunda, machinae humanae partes infeſtare ſolent, dyſpnoeam occurrere poſſe, nemo negabit, ſi ſequentes rationes perpendat. Primo obſtructione viſcerum haud raro fit, vt volumen eorum increſcat; hinc diaphragma verſus cauitatem thoracis vrgetur, motus eius ſufflaminatur, & reſpirationis difficultas naſcitur. Saepius etiam viſcera obſtructione laborantia concreſcunt, eamque ob cauſſam, cum ſic mobilitate deſtituantur, nouum impedimentum pectoris dilatationi inferunt. De hepate, liene, pancreate, renibus, meſenterio ac ventriculo, mem-

membranis illorum ab interpoſita materia peregrina diſtentis, inſignem numerum obſeruationum lectu digniſſimarum collegit Bonetvs *Lib. cit.* vti etiam clariſſ. *de* Sauvages quasdam dyſpnoeae ſpecies ſecundum illas diſpoſuit. *Noſolog. method. Tom. II. P. II. de Dyſpnoea.* Superuacaneum igitur eſſe putauerim, exempla hic proponere. Secundo ob irregularem humorum per abdomen motum, dum via per hoc vel illud viſcus occluſa eſt, ſpaſmi excitantur, qui motum thoracis perturbant. Tertio cum in illo quantitas ſanguinis, qui per vaſa abdominis moueri ſolet, ob infarctum quarumdam partium, ſpatium ſibi neceſſarium non inuenit, ad pulmones imprimis fiunt congeſtiones humorum, quae, vaſorum diſtenſiones efficientes, quo minus aër ſub inſpiratione ſufficiens in pulmonum cellulis ſpatium ſibi parare poſſit, impediunt. Quae cauſſae dum eiusmodi ſunt, vt ſingulae dyſpnoeam producere valeant, eo grauiorem morbum pectori inducunt, quo magis inter ſe ſunt coniunctae. Ad tuſſim quod attinet, eo facilius de phthiſi pulmonali coniectura fieri poteſt, quamquam abſentia tuſſis illam non tollat, cum non neceſſe ſit, vti antea euicimus, vt in omni phthiſico ille affectus inter eſſentialia ſymptomata locum habeat (vid. §. II.). Tuſſis autem abdominalis, ſeu hypochondriaca, vti nominari ſolet, non ſemper ſicca deprehenditur, ſed ob cauſſas in anteced. allatas humida euadere poteſt. Vid. Benedstein Diſſert. de *Tuſſi ſtomachali.* Quibus igitur inter ſe collatis perſpicuum factum eſſe videtur, qua ratione morbi ab

 obſtru-

obſtructionibus viſcerum prouenientes, phthiſin pulmonalem referre poſſint.

§. IX.

Concluſio.

Quae propoſui hactenus argumenta, ita a veris principiis oeconomiae animalis me deduxiſſe mihi videor, vt omnino euictum eſſe putauerim, non omnes aegrotos, perpetua reſpirationis difficultate adflictos, vetuſta tuſſi, qua ſputorum copia varii coloris, odoris, ſaporis & conſiſtentiae eiicitur, dies noctesque excruciatos, & viribus exhauſtos atque diuturna tabe confectos, vera phthiſi pulmonali laborare, ſed hunc morbum in nonnullis ſymptomaticum eſſe, cuius cauſſa in partibus corporis a pulmonibus longe diuerſis, imprimis in viſceribus abdominis, haerere poteſt. Quo magis autem morbus idiopathicus, ſymptomata, quae pro ſignis phthiſeos habentur, excitans, ipſe latet, eo facilius in errorem quoad diagnoſin duci poſſumus. Latent omnino nonnunquam in abdomine vlcera atque obſtructiones viſcerum, etſi etiam volumen illorum auctum ſit, dum minus ſaepe integumenta abdominis extrorſum, quam diaphragma verſus thoracis cauitatem, protrudunt, nec de laeſa ciborum concoctione ita, ac vulgo creditur, ſemper conſtat. Appetitus enim ciborum nonnunquam ſatis viget, excrementa inteſtinorum conſueto ordine egeruntur, multi dolores atque anxietates percipiuntur, & tamen ſaburra viſcida & acris in primis viis naſcitur, cui, niſi in initio remedia efficacia opponantur, tam graues dein affectus, ſequenti tempore ſeſe

mani

manifeſtantes, tribuendi ſunt. Quodſi etiam nonnulla ſymptomata perturbatam officinae alimentorum oeconomiam patefaciunt, leuia plerumque eſſe ſolent, nec tam periculoſis effectibus reſpondere videntur. Optauerim vt de ratione, morbos phthiſin pulmonalem mentientes ab illa ipſa dignoſcendi, adhuc quaedam diſſerere liceat, cum inquiſitio huius rei magni momenti ſit; ſed anguſti limites Diſſertatiunculae ab hoc negotio nos reuocant. In genere quilibet facile perſpiciet, ſigna anamneſtica in detegendo morbo idiopathico, diagnoſticorum defectu plurimum nos iuuare poſſe, ſi inſimul ad iuuantia nocentiaque attentionem noſtram dirigamus.

T A N T V M.

VIRO

VIRO
PRAENOBILISSIMO AC DOCTISSIMO
IO. FRIDERICO CONRADI
AMICO DILECTISSIMO

S. D. P.

I. F. C. JETZKE

OPPONENS.

Dum locum dedisti precibus meis, *carissime Conradi*, mihi quoque concessisti, vt *Tibi* gratulantium numero accedere possim. Iam vero quid *Tibi* dicam, de quo pro amicitia nostra, arctissimis vinculis constricta, persuasus non sis? plane ignoro. Quod *Te* amem, quin immo diligam, satis *Tibi* declaraui; *Tu* quoque ipse ea amoris pignora mihi exhibuisti, ex quibus sane colligere potui, *Tibi* nullum, mei in *Te* amoris, reliquum esse dubium. Tempus *Tuum* quod bene collocaueris, doctrinae specimina, quae edidisti, testantur. De isto denique, quod ex diei huius festiuitate maximum mihi enascatur gaudium, cur dubitare possis, non video. Vt vero aliquid dixisse videar, publice repetam, quae *Tibi* coram iam dixi: Amo et amabo *Te* dum viuo. Splendidissimae *Tuae* familiae gratulor de cognato doctissimo. *Te* vero et res *Tuas* supremo Numini commendo; quaeuis conamina *Tua*, vt *Tuis* respondeant votis, faxit, iubeat. Valeas, meque amare nunquam desinas. Dabam Halae d. IV. Febr. cIɔIɔCCLXIX.